De ſacro baptiſmo

(3)-4

Primo paganus catechumenus fit. accedens ad baptiſmum: abrenuntiat ma-
ligno ſpiritui et omnibus damnoſis eius pompis. Exſufflatur etiam ut fugato diabolo
Chriſto noſtro paretur introitus. Exorcizatur. id eſt coniuratur malignus ſpiritus.
ut exeat et recedat dans locum deo vero. Accipit catechumenus ſal.
ut putrida et fluxa eius peccata ſale ſapientiae divino munere mun-
dentur. Deinde ſimboli apoſtolici traditur ei fides ut vacua domus et
a priore habitatore derelicta fide ornetur et preparetur habitatio
deo. Tunc fit ſcrutinium ut exploretur ſepius an post reſur-
rectionem ſathane ſacra verba datae fidei radicitus corde defixerit.
Tanguntur et nares ut quamdiu naribus ſpiritum trahat in fide percepta perduret.
Pectus quoque eodem unguitur oleo. ut ſigno ſancte crucis diabolo in-
greſſus claudatur. Signantur et ſcapule. ut undique muniatur.
Item in pectoris et ſcapule unctione ſignatur fidei firmitas et operum
bonorum perſeverantia. Et ſic in nomine ſancte trinitatis tri-
na ſubmerſione baptizatur. Et recte homo qui ad imaginem ſancte
trinitatis conditus eſt per invocationem ſancte trinitatis ad eandem
renovatur imaginem. Et qui tertio gradu peccati cecidit in mortem.
tertio elevatus de fonte per gratiam reſurgat ad vitam. Tunc albis indu-
itur veſtimentis propter gaudium regenerationis et caſtitatis vite. et ange-
lici ſplendoris decorem. Tunc ſacro criſmate caput perungitur et mi-
ſtico tegitur velamine. ut intelligat ſe diadema regni et ſacerdotii
dignitatem portare. iuxta illud apoſtoli. Vos eſtis genus electum
regale ſacerdotium. offerentes vosmet ipſos deo vivo. Et ſic corpore
et ſanguine confirmatur dominico. ut illius ſit membrum qui pro eo
paſſus eſt et reſurrexit. Noviſſime per impoſitionem manus
a ſummo ſacerdote id eſt pontifice ſeptiformis ſpiritus ſancti gratiam ac-
cipit ut roboretur per ſpiritum ſanctum ad predicandum alius qui fuit
in baptiſmo per gratiam vite donatus eterne. Anſelmi
archiepiſcopi ſententia de malo et nichil.

Si malum nichil eſt quomodo nomen eius aliquid ſignificat? Rurſus
ſi audito nomine mali intelligimus aliquid quod horremus et vi-
tandum cenſemus. quomodo autem malum nichil eſt aut nomen
mali nichil ſignificat? Sed et ipſum nichil quid eſt? Verum
cum nequaquam differatur nichil eſſe et non eſſe aliquid quomodo
dici poteſt quid ſit quod non eſt aliquid? Ipſum tamen nomen
quod dicimus nichil ſi nichil ſignificat. vel ſi non ſignificat aliquid
nomen non eſt.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.3, 4r – Augustinus, (Pseudo-), De essentia divinitatis; Petrus Damianus, De novissimis et Antichristo; Opuscula varia (https://fragmentarium.ms/view/page/F-5kbv/5162/49450)